Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



48

in ewangeliis mandauit dicens. Nolite timere eos
qui occidunt corpus. animam autem non possunt occide
re. ideo contempno tormenta tua. ut eternum ignem effugiam & uen
turam iram. Iulianus imperator dixit. Ecce ira ignis super te uenit.
& uideam si liberet te galileus ille de manibus meis. Cyri
acus episcopus dixit. Impie & inmemor omnis bonitatis & inconstabilis
& ferocissime canis. quomodo non es memoratus
inmaculati & purissimi altaris gloriosi & semper celes
tis. a quo absconsus es. Effugisti temporalem punicio
nem mortis cum tyrannica tibi proponebas insaniam. quomodo
non timuisti inmundissimum tuum os extollere. & uer
ba blasphemie proferre aduersus dominum ihesum xpm.
Iulianus imperator dixit. Si uere ignem contempsisti iudicabo
te intolerandis tormentis. ut non solum corpus tuum ig
nis consumat. sed & animam. Et iubet plumbum in trullam
rogo dare. & extendi beatum. & forcipe ferrea aperiri
os eius. & infundi illi plumbum. ut interiora eius conflarentur.
Talem autem & scelestem sustinens penam. spem habens in celum
aspiciebat. Et cum due hore transissent. omnes eum spera
bant iam mortuum esse. Ille uero aleuans uocem clamabat
dicens. Xpe lumen eternum. inextinguibilis splendor. mor
tuorum uita. peccatorum propitiacio. errantium redemptor
& dux. benedico te domine. quia dignum me fecisti par
ticipari sanctis tuis qui imaginem auream contriuisti. & im
pium regem ab hominibus expelli fecisti. & cum ferocibus
bestiis portionem eius fecisti. & septem tempora super eum mu
tare precepisti usque dum cognoscere & te uerum dominum. qui per
seruum tuum beatum daniele culturas babyloniorum